



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Rex Potentissimus n. 24

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

acceptam, referre se prosperitatem, ac propagationem Regni, & thori sui adhuc sterilis, *fidenter, & saepe professus est. Ita in Imag. 1. sec. Soc. l. 3. c. 9. f. 658.*

23. A SEBASTIANO Bungenſi etiam Rege Sebastiani Bungenſis Regis filio: qui Capralem nostrum morti se ac suos paratos offerentem benignissimis brachijs excepit, & inter multa hisce verbis amore, ac honore plenis dicendi clausulam conclusit. In summa bono este animo: Nam si quæ in alienis Prouincijs contra vestros fiunt iniuriæ, pro meis duco. Vos, quos complexos sinu teneo, profecto nemo priusquam me lædet. *Sic Par. 4. Hist. Soc. lib. 5. n. 240.*

Eorum iniurias proprias ducebat Sebastianus Rex.

A R E G I B V S S I N A R V M.

24. A REGE Potentissimo, qui (vt nouissimis ex Oriente literis præscribitur) religiosissimis iuxta ac sapientissimis Nostrorum hominum moribus delectabatur; & ita apud animum suum statuerat de ijs, vt regendis eos sui vice Regnis, Prouincijsque vastissimis admouendos esse decerneret. Quam quidem principem inter Sinenses Procereſ dignitatem cum intellexit à nobis modestè reiici, versa in maiorem tantæ virtutis admirationem veneratione, socios plus etiam quam ante sibi commendatos, & charos fundo extruendis in Vrbe Regia Sacris ac religiosis adibus imperitiuit. *Ita apud Imag. 1. sec. Soc. l. 2. c. 6. f. 223.*

His adde, quæ scribit P. Nicolaus Trigausius de Christiana expeditione apud Sinas l. 6. c. 13. fol. mibi 405. Noſtri à rituum Magistratibus comprehensi in arcem legatorum retruſi erant: quod vt Regi constitit, dixisse fertur: Quorū hos homines oportuit comprehendere, an fortassis latrones habentur? Eximius hic fauor Regis erga socios fuit: & pro singulari gratia ab omnibus habitus. Cui Regis alia beneuolentia singularis accessit: quæ sic à citato Trigausio cap. 14.

Regis fauor erga socios.

cap. 14. fo. 419. his verbis refertur. Horaria machina aliquantum aberrauerat, forte in Eunuchis non satis erat ingenij, aut etiam animi ad eam moderandam: ergo de voluntate Regis illam in domum ad reparandum detulerunt; biduo igitur, triduoque, ubi hoc innotuit, magni ad nos facti concursus, id forte Rex rescivit, & in posterum illam machinam efferrī vetuit, sed cum opus esset, nostros in Palatium venire voluit; quae res magnam benevolentiae Regis erga nostros conceptae opinionem apud omnes concitavit.

Et benevolentia singularis

A R E G I B V S

Æ T H I O P I Æ.

25. * **A** SELTAN-SEGVED Summo Imperatore tanti Societatem faciente, ut sponderet, Se post Deum illi famulaturum: qui etiam non verebatur Nostros appellare Magistros, ac Patres. Ita refertur in Relat. rerum Æthiop. lib. 2. cap. 13.
26. * **A** MALA-SEGVED. Qui publicè testabatur, se Societatis Patribus Dei seruis faurum, quia nullus præ illis suum fauorem merebatur. Sic L. 1. Hist. Orient. c. 10. per Franciscum Suarez scripta.
27. **A** ZALADINO MAHEMETE Magni Mogoris literis ad Societatis Prouincialem Goæ commorantem, quibus Nostrorum expeditionem ad Mogores Æthiopiæ Incolas, expetebat; & earum verba hæc erant: Ad Patrem præcipuum in nomine Domini literæ Zaladini Mahemetis Echebarisæ Regis manu Dei constituti. Patres Collegij Sancti Pauli primores, scitote me vobis valde amicum esse. Mitto isthuc Ebadolam legatum meum, & Dominicum Perium (hic erat Christianus Interpres) petitum vt ad me duos Patres doctos mittatis, librosque legis, & nominatim Euangelium, & legem, eiusque perfectionem

Societas quantum ab Æthiopicis Regibus aestimata?

Expetita literis à Mogorense.